DE

FUNGO MEDULLARI
ET
MORBIS ANALOGICIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIV. M. MARTII A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LUDOVICUS PETRI

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

C. REICHERT, MED. ET CHIR. DR.
F. BAHLMANN, MED. ET CHIR. DR.
M. CRUSE, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

ANDR. AUG. FRANCKE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO EXERCITUS SUPREMO, DIRECTORI SCHOLAE MEDICO-CHIRURGICAE MONASTERIENSIS, EQUITI ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA, SOCIETATUM LITTERARIARUM COMPLURIUM SODALI ETC. ETC.

PRAEPOSITO MAXIME VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

In numeroso morborum chronicorum grege, quorum natura ne summis quidem praestantissimorum omnis aevi medicorum laboribus dilucidari potuit, haud dubie scrophulosis, tuberculosis, fungus et scirrhus principem tenent locum. Licet enim variae ac diversae theoriae sint propositae, imo fere quotidie proponantur, tamen morborum dictorum indoles densis adhuc tenebris premitur, unde factum est, ut in debellandis hisce morbis, organismo infestissimis, nulli hactenus medico laeti quidquam obtigerit. Causam vero, quae diversissima medendi experimenta irrita reddit, in eo esse positam, quod morborum illorum natura nondum nobis innotuerit, adeo persuasum habeo, ut vix alium quemquam dubitaturum esse existimem. Proinde medicum in eo potissimum elaborare oportet, ut tenebras, quibus morborum

ante dictorum indoles occultatur, dissipet, quia tunc demum methodos et auxilia, quibus mala illa profligentur, invenire licet. Quanti hoc sit momenti, vix est, quod commemorem, nam bis tertia generis humani pars, ut equidem opinor, morbis istis inexpugnabilibus perimitur. Priusquam ergo prodierit quisquam sagacitate insignis, qui indigestae observationum moli vitam quasi inspirare, essentialia ab accidentalibus segregare, evolutionis processum et leges, quas illa sequitur, illustrare, et, ut paucis dicam, morborum illorum indolem explanare curationemque rationalem constituere valeat, in eo acquiescere debemus, ut fontem, ex quo quis haurire possit, congestis novis observationibus locupletemus. Mihi quoque in conscribendo hocce opusculo fuit propositum, additis aliquot morbi historiis observationum, quae hac de re exstant, numerum complere. Subjunctis autem adnotationibus quibusdam generalibus, quatuor illas morborum formas comparandi et multifarias analogias indigitandi periculum feci. Quod cum tironi sit difficillimum, Lectores benevolos arbitrosque haud iniquos me habiturum esse confido.

FUNGUS GLANDULARUM COLLI, TUBERCULA PULMONUM.

Nicolaus Rieger, mercenarius, quinquaginta annos natus, constitutione insignis robusta, Junio mense anni MDCCCXXXV. tumorem scirrhosum, fabae magnitudine conspicuum, non dolorificum, causa ignota exortum in dextra labii inferioris parte locatum, exstirpari curaverat. Vulnere celeriter per primam intentionem sanato, in regione glandulae submaxillaris tumor emersit, qui initio exiguus nec dolens magna cum celeritate increscens, urentes dolores excitabat, et colli partes comprimendo respirationem vehementer turbabat: qua re aeger commotus auxilium in nosocomio Caritatis nostro petiit.

Recepti aegroti conditio haec erat:

Corpus valde macilentum, facies pallida, livida, febris hectica nonnullis hebdomadibus ante exorta. Tumor, duarum fere manuum virilium amplitudinem aequans, a margine maxillae inferioris dextri lateris usque ad manubrium sterni et costam secundam pertinebat et duorum fere digitorum crassitiem habens, tria manifeste distincta et mar-

morata segmenta sphaerica, superficiem laevem, splendentem, cutem admodum expansam, tenuem, varicibus obsitam, monstrabat. Tumor ipse aliquanto durus erat, passim procul dubio fluctuans; imprimis vero juxta medium collum globosus, unum digitum prominens tumor coerulei coloris animadvertebatur, qui vehementer dolebat et tam luculenter fluctuabat, ut incisione opus esse videretur, praecipue eapropter quod tumor laryngem et tracheam comprimens metum faciebat, ne aegrotus suffocaretur, sperare autem licebat, fore ut vacuefacto tumore affectiones suffocatoriae profligarentur. Facta incisione aegrotus maxime se levatum sensit: profluxit enim quadrans mensurae ichoris cruenti, fusco-flavescentis: at vulnus incisum sequentibus jam diebus in ulcus sinuosum mutabatur, ex quo substantia fungosa cerebro similis nascebatur, minimo, qui fieri potuit, tactu, saepenumero sine omni causa, tantam sanguinis copiam profundens, ut, substricto universo fungo perdurans sanguinis profluvium non nisi ferro candenti sedari posset.

Sed ne hoc quidem heroicum adminiculum levaminis multum attulit, altero enim die recentes excrescentiae fungosae, eandem sanguinis reddendi habentes propensionem, efformabantur. Aegrotus viribus maxime exhaustis, continua sanguinis jactura et vehementissimis semper spirandi molestiis pressus, ineunte mense Majo denatus est.

In dissecto corpore haec reperta sunt:

In cranii cavo pars abnormis nulla: larynx et trachea tumore ad sinistrum latus compulsi,

eorumque tela mucosa, aeque ac bronchiorum, inflammatorie rubescens. In pulmonibus ipsis, in primis lobulis superioribus, multa tubercula miliaria atque excavationes exiguae occurrebant: cor et viscera abdominis consentanea normae apparuerunt. Tumor in dextro colli latere situs duarum manuum contractarum virilium amplitudinem adaequabat et partim ex subcoeruleis et elasticis nodulis, partim ex crassis, fungosis, ulcerosis excrescentiis luxuriantibus constabat. Qui tumores, organis colli et vasis superimpositi, nullam mutationem iis intulerant, excepta glandula thyreoidea, cui nonnulla ulcuscula fungosa ejusdem generis insidebant, quorum duo testulis osseis obducta erant.

Tumor ipse, quod ad partes nodosas attinet, e solita fungi medullaris substantia constabat, ac tela fibrosa circumdatus partim flavescente et albido, cerebri substantiae consimili, partim fusco et rubescente colore tinctus apparebat. Medio in tumore ulcus fungoso-medullare exortum erat, cavernosum, materiis fungosis extinctis repletum: ubi tumor mandibulam attigit, locus asper, varicosus, inflammatus conspiciebatur.

Quem exposui, casus, eapropter notatu sit dignissimus, quod non solum degeneratio carcinomatodes una cum fungosa atque tuberculosa conjuncta reperiebatur, sed etiam prima et secunda nexum causalem alere videbantur: nam sine dubio exstirpatio scirrhi labii inferioris, qui primus apparuerat, intumescentiae glandularum colli ansam praebuit, quarum natura neque scir-

rhosa neque carcinomatosa, sed praeter opinionem fungosa eaque satis exculta fuit.

FUNGUS SCAPULAE ET GLANDULARUM MESARAICARUM, TUBERCULA PULMONUM.

Carolus Roux, caementarius, quadraginta duos annos natus, statura robusta, nunquam, quod ipse meminit, aegrotaverat, si ab eo discedas, quod puerili aetate communibus scrophuloseos symptomatibus laboraverat. Ineunte mense Januario anni MDCCCXXXIV citra causam manifestam, impedito jam diu brachii sinistri motu et pertinacibus humeri doloribus, in scapula tumor exstitit duriusculus, qui augescentibus doloribus ita accrescebat, ut Martio mense elapso capitis infantilis amplitudinem obtinuisset.

Forma erat conica, consistentia compacta, elastica, superficies plana, ceterum hic illic mollior, fallacem fluctuationem praebens, alibi durior, digito compressus mediocriter dolens. Cutis tumori superimposita normali gaudebat structura, sed admodum expansa et magno varicum numero obsessa apparebat, tumor scapulae adnatus basin inde a fossa axillari usque ad medium dorsum porrigebat. Aeger habitu cachectico, facie collapsa, livida, corpore macilento insigniebatur et manifesta febri hectica laborabat.

Curatio palliativa adhibebatur, sed omne miseram aegroti conditionem levandi studium irri-

tum erat. Tumor indies rapide accrescebat, dolores admodum augebantur; simul symptomata fungi in cavitate abdominis orti apparebant, anomaliae enim digestionis, graves colici dolores, vomituritiones, vomitus ipse, nullo remedio coercendus observabatur: tumor haud multo post compresso thorace etiam respirationem valde impedivit: quae affectiones febri hectica eum in modum incitabantur, ut viribus celeriter consumptus aegrotus mense Julio ejusdem anni, malo oppressus, obiret.

Secto corpore haec reperta sunt: Tumor, qui totum latus dorsi sinistrum usque ad planitiem pectoris superiorem occupabat, magno hominis capite amplior et pondus decem librarum aequans. Incisione longitudinali facta, solitam fungosam, putrefacto cerebro haud absimilem, ex albido nigricantem substantiam observavimus, tela cellulosa propria circumvolutam: cellulae singulae radiatis inter se filamentis tendinosis, e scapula profectis conjungebantur, ceterum in iis passim frustula ossea apparebant.

Tumor fossae infraspinatae scapulae insidebat, quae pars tota in tumorem degeneraverat, ita ut fossa supraspinata, spina scapulae et acromium tantum integra essent: reliquae ossis portiones, aeque ac omnes partes molles ossi impositae plane degeneraverant. Quae omnia, in unum conflata, tendinosam simulque cellulosam molem, quam supra commemoravimus, conformabant.

In cranio nulla pars a norma abhorrens reperta est.

In pulmone utroque, maxime quidem in eo-

rum apice, multa tubercula pisi magnitudine, ceterum solita structura, cernebantur, praeterquam unum, ovi columbini magnitudine conspicuum, in apice sinistri pulmonis excavationem, materie caseosa, in qua dura corpuscula animadvertebantur, repletum continebat. Reliqua cavi pectoris organa sana erant, pariter ac viscera abdominis, exceptis glandulis mesaraicis, quae cum mirum in modum amplificatae apparebant, tum in basi mesenterii acervum manus virilis magnitudine insignem conformabant. Materies in iis contenta quod ad externam structuram a cerebri substantia nihil aberravit, passim tamen depravata consistentiam liquidiorem obtulit.

In casu modo enarrato iterum tuberculosis fungo adjuncta invenitur; in pulmonibus tubercula et cruda et emollita, imo excavationes satis magnae animadvertebantur; tum glandularum quoque mesaraicarum degeneratio praecipue aliam ob rem notatu digna fuit. Nonnulli enim tumores, imprimis ille abdominis, de quo supra retuli, utpote compositus e pluribus minoribus, ad basin mesenterii situs, omnia et evidentissima fungi signa obtulerunt, dum natura tumorum minorum manifeste tuberculosa apparuit, imo in aliis utriusque degenerationis vestigia adesse videbantur. Nonnullius simul momenti est, aegrotum juvenem solitis scrophuloseos formis laborasse, id quod habitus totus scophulosus satis manifestabat.

FUNGUS HEPATIS, VENTRICULI, PANCREATIS ET GLANDULARUM MESARAICARUM.

Josephus Henscher, faber lignarius, quinquaginta quatuor annos natus, constitutione robusta semperque optima valetudine gavisus, mense Aprili anni MDCCCXXXV in nosodochium Caritatis receptus est, quum dudum dyspepsia et comprimentibus, interdum pungentibus regionis hepaticae doloribus semper recurrentibus et modo diarrhoea modo pertinaci alvi obstructione laborasset. Ad hasce molestias virium labes sensim angescens et febricula vespertina accesserunt, simul faucium aphthae et ingens foetor oris exstiterunt. Faciei color flavidus, in hypochondrio dextro haud exiguus hepatis tumor apparuit, qui modo dolores inflammatorios, modo febrem inflammatoriam evocavit, ita ut antiphlogistica methodo opus esse videretur. Aegrotus per longum tempus Calomelane utebatur, donec salivatio vehemens irrupit; nihilominus autem malo celeriter proruente, digestio magis impedita, tumor hepatis amplior, febris hectica, debilitas et universa corporis macies magis gravior apparebant: consequebantur tumores hydropici pedum, deinde ascites, vomitus frequens, denique erysipelas faciei, qua symptomata febrilia vehementer augebantur et repentina mors inducebatur.

Sectio cadaveris.

Corpus summa macie confectum: viscera

cranii et pectoris a norma non recesserunt, sane autem organa abdominis.

Hepar mirum in modum auctum, diaphragma vehementer versus cavum pectoris adurgebat, cutis abdominis valde expansa cernebatur: in sinistro latere hepar ventriculum et lienem universum ita tegebat, ut totam regionem hypogastricam oppleret; ceterum inferne usque ad angulum osseum pubis pertinebat et decem librarum et dimidiae pondus adaequabat. Tela cellulosa circumfusa et ligamenta hepatis valde porosa, mollia et colore proprio, fusco-flavescente, infecta occurrebant.

Tota hepatis superficies tnmoribus plus minus globosis, minoribus aut majoribus, obsita erat, qui partim tactu molliores parenchymate, partim magis fluctuantes sentiebantur, et albo aut flavido aut rubescente colore impertiti usque ad digiti crassitiem in telam hepatis descendebant. Intus substantia cerebro similis apparebat, quae a jecinoris substantia, degenerationi vicina, plerumque majori mollitie distinguebatur. In media quoque hepatis substantia albi, duri, plurimum globosi noduli, eadem ex tela constructi, minus tamen evoluti, reperti sunt.

Lobulus hepatis dexter totum per ambitum fungos penitus emollitos continebat, ita ut instar sacculi aqua repleta fluctuaret. In excavatione materies fusco-flavescens dissoluta recidebat, in qua etiam majora et solida corpora, substantiae hepaticae perfecte putrefactae simillima, natabant. — Omnia jecinoris vasa, quae degeneratione parum alienata erant, valde dilatata

animadvertebantur et spissum ac nigricantem sanguinem continebant: in vesicula fellea non mutata magna fellis acri et tenacis copia deprehendebatur.

Curvatura ventriculi minor cum hepatis proxime adjacente parte concreverat, ibidemque valde porosa, unius fere digiti crassitiem, colorem albido-flavescentem, texturam mollem et fungosam praebebat. Ventriculus, e cavo abdominis reclinatus, quum hocce incideretur, ex tela membranarum rarefacta materies gelatinosa, colore flavescente infecta, profluebat: membrana mucosa admodum tumida vasis densis, ramosis et expansis refecta erat. Ut in hepate et ventriculo, ita etiam in pancreate et glandulis mesaraicis tumor fungosus, nondum vero emollitus, offendebatur. — Reliqua abdominis organa a norma non recesserunt.

Iste quoque morbi casus, pariter ac antecedens, enormem degenerationem fungosam in homine prorsus scrophuloso adfuisse probat. Nec non quae sequitur morbi historia, exemplum singulare offert, quo numerosi per totum corpus diffusi fungi medullares ex agro scrophuloso sine omni dubio effloruerant.

DYSCRASIA FUNGOSA.

Ludovica Klatt, quadraginta annos nata, admodum macilenta et cachectica, juvenili aetate communibus scrophulosis formis laboraverat, quod quidem plures cicatrices, abscessibus glandularum

scrophulosis in collo superstites indicabant. Menstruatione sub annum vitae decimum quartum ineunte, omnia disparuerunt phaenomena scrophuloseos et ab illo inde tempore semper optima gaudebat valetudine, donec post ultimum partum, quem edidit undecimum, aestate anni MDCCCXXXV rheumatismo corripiebatur, qui per sex menses eam continuo vexabat.

Quo malo superato, aegrota diminutionem virium pedetentim augescentem animadvertit, cujus causam indicare non potuit. Paulo post quovis vespere exacerbationes febris hecticae intrabant, noctu sudore profuso terminatae. Cum status iste intra semestre remediis adhibitis nihil mutaretur: praetereaque molestus accederet decubitus, et aegrota tumores aliquot minores in pectoris et abdominis cute, majorem vero in imo ventre animadverteret, auxilium in nosocomio Caritatis petiit.

Recepta ibi mense Julio MDCCCXXXVI. statum praebuit valetudinis, jam describendum: Maxime erat macilenta et adeo debilis, ut facultatem motum spontaneum praestare nequiret: febri hectica evidente laborabat, quae quovis vespere exacerbatur et noctu profusos ciebat sudores. Nullum aliud corporis malum universale indagari potuit: omnes functiones respondebant normae, actio cordis autem anomala erat, pulsus enim mutabilis, modo frequentissimus, modo admodum tardus, semper irregularis et inaequalis. Accuratior cordis observatio suspicionem hypertrophiae et valvularum morbi excitavit.

Systema uterinum eo usque cum norma con-

senserat, post ultimum tantum partum menstruatio non redierat. Explorato abdomine proxime supra symphysin ossium pubis magnus sentiebatur in abdomine tumor durus, tuberosus, sub tegumentis ventris, qui libere quocunque moveri poterat, et solo corporis motu situm mutabat. Tumor, trium quatuorve pollicum longitudinem et altitudinem habens, dolores non ciebat: qualis autem esset indolis, et a quonam organo orderetur, certo dijudicari non potuit. Praeter hunc tumorem in cute pectoris et abdominis multae reperiebantur glandulae cutaneae volumine auctae et induratae, magnitudinem pisorum ad magnitudinem ovi columbini aequantes, durae et pressione dolentes. Quamdiu existeret tumor in abdomine et quando primum apparuerint glandulae cutaneae tumefactae, aegrota enarrare non potuit, paulo enim prius, quam recipiebatur, de iis certior facta erat. Universalem subesse dyscrasiam fungosam putavimus et curationem instituimus plane palliativam, nutrientem scilicet et roborantem. Quibus adhibitis aegrota non reficiebatur, etsi neque magnitudo tumorum increvit, neque nova quaedam symptomata usque ad mensem Septembrem MDCCCXXXVI accedebant, quo insultu apoplectico correpta post aliquot horas aegrota supremum diem obiit.

Sectio cadaveris.

Instituta est obductio quadraginta octo horas post mortem. Praebuit cadaver teneram ossium architecturam, musculorum laxitatem et ubique vestigia extremae maciei: signa putredinis abfue-

runt. Thorax instituta percussione bene resonabat, abdomen ita erat collapsum, ut per tenuissimos ejus parietes facillime percipi posset columna vertebrarum. Praeterea externa perscrutatio hasce obtulit abnormitates: In thoracis superficie quindecim ad viginti observabantur tumores rotundi, prorsus segregati, diversa magnitudine, qui steatomatum consistentia praediti, in tela cellulosa sub summa cute, debito modo colorata, sedem habere videbantur, quum libere huc illuc moveri possent. Maximus tumor prope dextrae mammae papillam situs erat et magnitudinem fere nucis juglandis aequabat: in circuitu et in latere sinistro, nec non in regione mammae, quarum utraque omnino deerat, reliqui sedebant tumores, qui ejusdem indolis, pisorum ad nucis juglandis magnitudinem accrescebant. Tres hujusmodi tumores in tela cellulosa regionis umbilicalis reperiebantur. In hypogastrica regione sinistra inflatio erat parietum abdominalium, magnitudine pugni virilis, quae tumore in cavo abdominis mobili et elastico efficiebatur. Primum tumores subcutanei sunt examinati. Suspicio, sedem eorum in tela esse cellulosa, confirmabatur, nam cute incisa neque cum hac neque superiore musculorum strato connati apparebant. Omnes eandem praebebant naturam, scilicet consistentiam steatomatosam, superficiem splendentem, marmoratam, coeruleo-rubram: interna substantia non aliter colorata erat ac externa; quod structuram attinet, ex compluribus stratis constare videbantur, quae vel obscuriore vel laetiore colore insigniebantur, in variis locis variam

ostendebant densitatem et versus centrum maximam habebant mollitiem, id quod indolem monstrabat fungosam.

Cavum cranii. Dura mater cum ossibus cranii tam firmiter conjuncta erat, ut partem, quae ad calvariam pertinebat, simul cum hac removeri oporteret. In interiore calvariae superficie novem apparebant tumores, crassitie lineae unius vel duarum, ambitu irregulari, subrotundo, diametro pollicis dimidii ad duorum. Quibus in locis eminentibus dura meninx arctissime periosteo adnata erat: attamen hic, ut in reliquis locis, citra lacerationem detrahi potuit; illo autem loco tenuior et colore obscuro, coeruleo-rubro, conspicua erat. Ossa in hisce partibus rarefacta, emollita, coeruleo-rubra apparebant, velut ulcerata. Destructio ab ossibus singulatim a substantia diploëtica, ordiri videbatur, idque imprimis eo confirmabatur, quod ossa magis affecta erant, quam dura mater, nam in externa quoque ossium superficie, iis quidem in locis, quae internis tumoribus respondebant, idem color coeruleo-ruber apparebat, ita ut ossa per totam crassitiem affecta essent. Substantia, in quam ossa mutata erant, maximam similitudinem habebat cum tumoribus illis supra descriptis sub tegumentis thoracis, magis tantum emollita et ulcerata videbatur. Maximus horum tumorum diametrum habebat circiter pollicum duorum, fere rotundus erat, et tribus minoribus circumdatus, in parte squamosa ossis temporum dextri sedebat: ibidem destructio maxima evenerat. In superficie ossis externa, galea obtecta, periosteum

adhuc glabrum erat, sed per ambitum grossi argentei coeruleo-rubrum, consistentia normali: in latere interno autem dura mater valde erat inaequalis, coeruleo-rubrum praebuit colorem et uno in loco parvam quidem rupturam. Ruptura magnitudinem fabae aequans, angulatos obtulit margines, et quasi erosam speciem. Cerebri pars sub ea sita per eundem circuitum colorem habuit coeruleo-rubrum, mollis fuit et perspicue defectus substantiae cerebralis per altitudinem lineae unius. Excavatio hac ratione formata et fundum habuit inaequalem et margines inaequales, parvoque sanguinis coagulo repleta fuit. Os hoc loco iniquum, asperum, quasi cariosum, passim spinas parvas emisit, inter quas massa ex fusco-rubra erat deposita. In tribus illis tumoribus minoribus degeneratio minus exquisita erat, ceterum ejusdem indolis. Eundem statum reliqui tumores quinque exhibuerunt, diametrum pollicis habentes, quorum alter loco superiori partis frontalis ossis frontis insidebat, alter in parte squamosa ossis temporum sinistri, alter sub medio fere vertice, reliqui duo in latere cujusvis ossis bregmatis, ubi cum osse occipitis conjunguntur, sedem habent. Tunica arachnoidea et pia mater indolem praebuerunt normalem, solito minus sanguinis continebant et facile ab ipso cerebro diducebantur. Cerebrum ex toto caruit sanguine, molle erat, ceterum autem normale.

C a v u m p e c t o r i s. Thoracis organa situm tenebant normalem, nihil in pleurae saccis inveniebatur, quod a sano statu abhorreret, in dextro tantum sacco plures, magis per longitudinem

extensi, in conspectum prodibant tumores eandem, ac antea descripti, offerentes naturam. Ortum petebant ex costis, ceterum emolliti erant in centro et indolis axquisite fungosae. Unus eorum tertiam costam mediam obsidebat et longitudinem habuit pollicum duorum et dimidii, duo minores eodem in loco quartae sextaeque costae insidebant, sed magis versus columnam vertebrarum. Pulmo sinister plane normalis erat, magis autem, quam solet, sanguine infarctus, id quod in pulmone dextro etiam observabatur. Hic pulmo praeterea eo in loco, quo intrant bronchi et majora vasa sanguifera, tumores exhibuit multos convolutos, magnitudine pomi, qui originem ducebant ex glandulis bronchialibus et pro substantia fungosa habendi erant. — Pericardium unciam fere unam seri inclusit, ceterum normale fuit, sed admodum parvum, cui quidem cor ipsum, duplo fere minus, quam par est, respondebat. In superficie ejus adeps depositus non reperiebatur, e contrario substantia muscularis per involucrum serosum pellucebat. Inciso ventriculo sinistro parietes ejus pro ambitu cordis parvo et praecipue pro cavo hujus ventriculi valde crassi et solidi apparebant, hypertrophia quasi laborantes, crassitie semipollicari.

Cavum ipsum diametrum vix pollicis dimidii habebat, sanguine carebat, ceterum nihil anomali ostendebat; valvulae ostiorum et haec ipsa erant integra; parietes ventriculi dextri crassitiei normalis, ventriculus ipse sanguinis expers et solito minor, neutiquam tamen eodem gradu, quam ven-

triculus sinister: valvulae ostiorum vasaque majora nihil, quod normae repugnaret, praebebant.

Cavum abdominis: Tegumenta abdominis valde attenuata erant, omni adipe carentia. Peritonaeum statum normalem obtulit. Ventriculus et tractus intestinalis admodum fuit angustus, ceterum normalis, aeque ac mesenterium ejusque glandulae, quarum aliquot tantum induratae videbantur. Hepatis, quod ad magnitudinem, colorem et consistentiam normale, superficies tantum plures maculas dispersas coloris albo-flavescentis, tactu duras, variae magnitudinis, quae lineas aliquot in substantiam hepatis descendebant, exhibuit. Incisae texturam praebebant solidam, aequabilem, coloris fere albi, ita ut constituerent fungum hepatis. Maxima earum, in superficie lobuli hepatis sinistri apparens, formam habuit irregularem, diametrum fere pollicum duorum. Ceterae multo erant minores, magnitudinem pisi ad fabae fere aequantes, ceterum ejusdem indolis.

Lien exploratione externa nihil, quod a norma abhorreret, prae se tulit, pallidus tantum videbatur; sed examine accuratiori in arteria lienali antequam intravit lienem, aneurysma verum, magnitudine parvae nucis avellanae reperiebatur, cujus communicatio cum arteria paene lineae diametrum habebat, quod in ambitu toto ossificatum erat. Arteria lienalis ipsa admodum duram, fere cartilagineam structuram praebebat. Eandem degenerationem minores rami hujus arteriae in lienis substantia interna ostendebant, unde textura ejus duritiem miram assequuta erat.

Pancreas, renes et vesica urinaria a statu

normali non recedebant, aeque ac uterus et tubae, venae autem morsus diaboli, partes illas circumdantis, valde extensae erant et varicosae.

Ovarium utrumque degenerationem rariorem obtulit: Ovarium dextrum versus sinistrum latus positum, tumorem jam commemoratum constituit, externe visu et tactu percipiendum; magnitudine insignem capitis infantilis, forma cordis hypertrophici, quippe qui minorem superiorem et majorem inferiorem partem haberet. Superficies splendens et glabra, peritonaeo obtecta, maximam partem ex flavo albescebat, passim autem flavis, fuscis, coeruleis striis obtegebatur.

Tumor ubique tactu elasticus erat et tantam praebebat fluctuationem, ut contenta fluida oporteret suspicari, praeterea ex compluribus lobis constabat, qui externe sulcis segregabantur. Tumor inferne et postice recto adnatus erat, reliquis in locis autem liber et mobilis. Incisione facta, tumor ex compluribus cystidibus compositus apparebat, quarum parietes flavescentes, crassitie linearum circiter quatuor, compagem versus interiora sensim emollitam atque pulposam ostendebant, quaeque sero flavescente liquido repletae erant.

Ovarium sinistrum, dextro tectum, et ima in pelvi situm, eandem praebebat indolem, erat autem multo minus, consistentiae multo solidioris, fluctuationis expers. Tres partes irregulares facillime in eo observabantur, quarum quaevis fere pomum Borsdorfianum magnitudine aequabat et quarum duae tumoris basin constituebant, cui mediae tertia pars insidebat. Super-

ficies eodem modo peritonaeo erat obtecta, glabra et laevis, subflava passim, striis tincta. Substantia multo solidior erat, in media parte quidem mollis, sed nullo repleta fluido, ita ut emollitio in hoc ovario tantum incipiens, in dextro autem longius progressa videretur.

CARCINOMA IN ANGULO ORIS, FUNGUS GLANDULAE SUBMAXILLARIS.

Joh. Polte, caementarius, quadraginta annos natus, constitutione robusta laetus, qui nunquam vehementiore morbo affectus fuisse dicitur, ante quatuor annos equo per ungulae ictum ad sinistrum oris angulum simpliciter vulneratus est. Vulnus tamen neglectum paulatim in ulcus malignum mutatum est, quod, emplastro aliquo semper tectum, inter illos quatuor annos paulum tantum creverat, ita ut receptione aegroti X. Octobr. MDCCCXXXVI. in nosodochium instituta, magnitudinem fere nummi octo valentis grossos adeptum esset. Nihilominus omnia signa carcinomatis pathognomonica prae se tulit; margines enim tumefacti, extra inversi, colore e rubro subnigro praediti erant, fundus inaequalis, tuberculosus, e rubro fusce coloratus, lapidis duritiem praebuit. Ulcus perpaucum, liquidum, foetidum secernit ichorem, neque multos dolores ardentes effecit. Circiter tribus abhinc mensibus praeter hoc malum tumor glandulae submaxillaris sinistrae gignit, qui initio quidem neque amplus neque dolorificus celerrime increvit et

jam post nonnullas hebdomades magnitudinem pugni virilis exhibuit: quo factum est, ut liber capitis motus evanesceret et partes profundiores tumore illo conpressae varias aegroto inferrent molestias. Primum aegrotus inter diglutitionem sensum quendam ingratum, prementem percepit, qui mox in veram dysphagiam abiit: cui paulatim etiam dyspnoëa accessit, quae una cum tumore, vasa sanguifera colli premente, graves sanguinis ad caput congestiones provocabat, ita ut aegroti miserrimi dolores proh dolor in dies augerentur. Praeterea paulo post typici febris hecticae accessus apparebant, quibuscum simul corporis emaciatio rapidissime progrediens vires aegroti infestabat. Quae cum ita se haberent, tumor magni pugni virilis ambitum ostendens ab angulo mandibulae sinistrae, quacum cohaeruit, usque ad claviculam ejusdem lateris sese extendit, totam sinistram colli partem obtegens, mediam tamen ejus partem nunquam superans; tam cum cute, quam cum partibus ei subjacentibus intime connatus, tumor digito exploranti sese elasticum praebebat, adeo ut in nonnullis locis fluctuationis sensum sine dubio ostenderet. Cutis externa tumorem induens e rubro coerulescens et magnopere tensa varicibus scatebat. In ipso tumore aegrotus perpaucos percepit dolores, etiamsi modice premitur: sin fortius vehementes pungentesque dolores conquestus est, qui remota manu premente statim evanescentes, haud raro etiam per se, sine externa vi aegrotum imprimis per noctem opprimebant. Quae omnia phaenomena quum fungosam mali naturam

vix dubiam redderent, Decoctum Zittmanni ad internum usum administratum est, dum localis tumoris curatio initio plane negligitur. Sed jam paulo post in media tumoris parte nova eminentia se formabat, quae sponte aperta magnam sanguinis et ichoris copiam evacuabat. Quo ex ulcere mox excrescebat massa fungosa, quae sub cautissimo quidem tactu statim, saepissime etiam sine omni causa, provocabat magnam haemorrhagiam, ita ut aegrotus magna sanguinis jactura, viribus celeriter consumptis jam eodem mense, quo in nosodochium recipiebatur, malo oppressus obiit.

Quae dissecando tumore inveniebantur, haec sunt: Tumor qui totum colli latus sinistrum ab angulo maxillae inferioris usque ad claviculam occupaverat, magna hominis manu amplior erat, indolem fungosam, incisione longitudinali facta, manifeste ostendebat et intus habebat cavum, quod partim excrescentiis fungosis, partim sanguine et ichore repletum erat. Eo loco, quo tumor adhaerebat maxillae inferioris angulo, os reperiebatur tumefactum et ex parte cariosum.

Hicce morbi casus primo enarrato valde similis est, quia in utroque aegroto degeneratio corcinomatodes una cum fungosa conjuncta reperiebatur; quod maximi momenti habeo et in sequentibus pagellis arctius memorabo.

Inter morbos, qui scientiam nostram auxiliique ferendi potestatem angustis circumscribi limitibus, medico persuadeant ejusque animum deprimant, prae ceteris scrophulosin, tuberculosin, fungum atque scirrhum pertinere in introductione

hujus libelli adnotavi. Ibidem mancam horum morborum curationem ab eo pendere dixi, quod malorum illorum natura nondum sit illustrata. Quas tenebras dissipandi pericula omnia hucusque irrita fuerunt et nunquam fortasse, aut post secula demum, medicorum eruditissimorum, qui debitum hancce in rem studium conferant, laboribus efficietur, ut nova lux exsurgat. Opusculum hocce id tantum sibi praefixum habet, ut dicti morbi, diversitatis speciem prae se ferentes, comparentur miraeque analogiae brevibus exponantur. — Scrophulosis, tuberculosis et utriusque producta saepissime sunt comparata et sententia eorum, qui tubercula nonnisi materiae scrophulosae depositione formari dicunt, in dies majorem assectatorum numerum adsciscit. Cui opinioni, ut suffragemur, scrophulosis phaenomena, id quod experientiae quoque consentaneum est, in duas formas principes dividi oportet, quae momentis essentialibus plane differunt. In prima hujus morbi forma, quae benigna appellatur, vasa glandulaeque lymphaticae, quae a corporis superficie proxime absunt, mali sedem exhibent; in his vel activa, i. e. inflammatoria, vel passiva affectione, insolita lymphae copia colligitur, quae tumores et indurationes s. d. benignas, quandoque suppurationem, ulceribus exceptam, inducit, quae omnia, vitae haud inimica, ineunte pubertate naturae vi medicatrice sanari solent. — Alteram scrophulosis formam materialis lymphae mutatio comitatur: etenim ex ipsa lympha, forsan et sanguine etiam, materia albuminosa, cretacea, caseosa excernitur, quae in tela viscerum

cellulosa, singulatim organorum functionibus vitae praepositorum, deponitur, ibidem, phaenomena inflammationis leviora plerumque excitans, emollitur varioque modo partium affectarum destructionem inducit. Haec scrophuloseos species a tuberculosi non nisi violenter segregari potest, quum ipsi experientiae refragemur oporteat, quippe quae omnibus in hominibus, secundae scrophulosis formae obnoxiis et post mortem incisis tubercula in uno alterove organo, plerumque in pluribus, inveniri doceat. Aeque ac scrophuloseos cum tuberculosi, scrophuloseos cum fungo analogia agnoscitur, siquidem hic ex illa haud dubie prodit. Scirrhum cum dictis morbis comparare, primo obtuitu minus consentaneum rationi videtur; eundem vero a fungo quod ad formam tantum discrepare, in aprico est: etiamsi enim uterque diversissimas telae modificationes afferunt, numerosae tamen accessiones tantum inter eos commercium efficiunt, ut saepe in praxi, imo vero in cadavere, vix distinguantur. Uterque haud raro in eodem tumore, vel in eodem corpore, consociatus deprehenditur. Scirrhus proxime ad tuberculi naturam accedit, quippe quod, initio parvum et durum, captis incrementis mollescere coeperit, istoque processu partium finitimarum tum plerumque totius organismi interitum inducat. Scrophulosis, totum circumscribens horum malorum orbem, pro fonte communi morborum, quod ad phaenomena quidem differentium, quod ad momenta primaria vero consentientium habenda est.

VITA.

Natus sum ego, **Fridericus Ludovicus Henricus Petri**, confessioni evangelicae addictus, idibus Maji A. MDCCCXIII in pago Lingerico comitatus Lingensis, patre optimo **Leopoldo Petri**, consiliario in collegio regiminis supremo, quem jam multos ante annos defunctum lugeo, matre carissima **Francisca**, e gente **Humpe**, quam pio animo adhuc superstitem veneror.

Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium Monasteriense, quod Dir. Cel. **Nadermann** floret, adii ac per sex annos frequentavi. Examine, quod dicunt, abiturientium, superato, ibi per semestre commoratus et academiae civibus adscriptus, his interfui praelectionibus: Beat. **Bodde** de chemia et diaetetica, Ill. **Roling** de physice et astrognosia. Anno MDCCCXXXII. mense Majo Berolinum me contuli,

et inter cives instituti Friderico-Guilelmiani medico-chirurgici receptus sum, cujus instituti alumnus per quadriennium ad medicinam et chirurgiam incubui. Audivi per illud tempus viros illustrissimos, quibus omnibus summe venerandis gratias habeo quam maximas. — Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia; Beat. Hermbstaedt de pharmacia et chemia; Ill. Link de historia naturali, botanice et toxicologia; Ill. Schultz de botanice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Schlemm de osteologia, de anatomia corporis humani universa, de syndesmologia, de anatomia organorum sensuum et de splanchnologia; Beat. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica; Ill. Mueller de physiologia; Cel. Eck de physiologia; Cel. Froriep de anatomia chirurgica; Ill. Hecker de libris Celsi et aphorismis Hippocratis; Ill. Frid. Hufeland de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali, quam speciali; Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Osann de materia medica, de fontibus medicatis et de auxilio hominibus repentino vitae periculo oppressis ferendo; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Ill. Kluge de arte obstetricia, de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis et de akiurgia; Ill. Juengken de chirurgia speciali, de akiurgia et de ophthalmiatrice. Ill. Mueller et

Ill. Schlemm cadavera rite secandi; Ill. Kluge fascias rite applicandi artem me docuerunt.

Exercitationibus clinicis et medicis et chirurgicis et ophthalmiatricis et medico-forensibus interfui illustrissimorum et celeberrimorum virorum Bartels, Wolff, Rust, Truestedt, de Graefe, Kluge, Juengken et Wagner.

De re veterinaria scholas audivi Cel. Gurlt de zootomia; Cel. Reckleben de epizootiis et zoodiaeta; Beat. Naumann de equorum forma et habitu, et clinicum frequentavi veterinarium Cel. Hertwig.

Quadriennio transacto inde ab ineunte mense Aprili anni praeteriti in nosocomio Caritatis officio medico-chirurgi inferioris fungor.

Restat ut tentaminibus, cum philosophico tum medico, et examine rigoroso superatis, et dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur.

THESES.

1. Calomelanos in gastroenteritide non aliam vim praestare potest, quam evacuantem.
2. Caries e causa interna profecta generatim facilius sanatur, quam e causa externa.
3. Gonorrhoea nunquam gignit luem secundariam.
4. Non existit status inflammatorius tunicarum serosarum sine exsudatione.
5. Generationem aequivocam existere nego.
6. Turbo cadorum nequaquam ad distractos lucis colores reconciliandos aptum est instrumentum.